



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. De iis, quibus non est permissum appellare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

let Reus, conventus in iudicio actione reali, si petat rem in Libello petitam declarari seu obsignari, & non audiatur. ꝛ. quod licet appellet, cum etiam hic iniuste à Iudice gravetur, qui negat illi quod à jure petendum conceditur. c. 2. de Libell. oblat.

Dubitari potest Quartò, utrum Tutor, an mater tutorum filiorum, si nomine pupilli aut pupillorum inviti conveniantur in iudicio, de causis post positam tutelam ortis, aut de novo inchoandis, licet possint appellare? Respondetur ex c. ex parte 67. h. e. quod licet appellare possint contra tale gravamen, cum non possint de talibus litiis conveniri amplius pupillorum nomine, posita tutela; si tamen lis aliqua cum Tutore, pupilli nomine, tempore tutelæ cepta fuisset, deberet hic eam, posita etiam tutela, proseguere, nisi omnis administratio in Curatorem translata fuisset, ut ne indefensus destituatur pupillus in causa, quam ipse incipere non potuit.

§. IV.

De iis, quibus non est permissum appellare.

Primo appellare non possunt, qui tribus edictis, vel uno peremptorio citati dixerunt se nolle venire, in penam scilicet veræ contumaciæ, ob quam condemnatus fuit. Secundo non possunt appellare, qui sententiam contra se litem expressè vel tacitè approbaverunt, ut dictum. Tertio appellare non possunt, qui legitimæ appellationi adversarii sui non detulerunt, si postea in eadem causa appellare vellent; ut scilicet in eo puniantur, in quo ipsi deliquerunt. c. Constitutus 23.

& c. Anst. 42. h. t. Quarto appellare non possunt, qui propriâ voce, ac sponte in iudicio confessi fuerunt, & clarâ ac plenâ probatione convicti, quia talis appellatio præsumitur interposita subterfugii tantum causâ &c. si verò tantum confessus aliquis fuit in iudicio, non tamen debito modo convictus fuit, potest quidem appellare, appellatio tamen talis, si confessionem non revocavit, & nullam rationabilem causam appellationis expressit, non habebit effectum suspensivum, qui executionem Iudicis à quo impediret, sed tantum devolutivum, vi cuius inhibere potest executionem Iudex ad quem; juxta c. Romana 3. §. Si autem b. t. in 6.

SECTIO III.

De sententiis, vel actibus, à quibus appellari potest, vel non potest.

§. I.

A quibus sententiis & in quibus causis sit licitum appellare?

IN genere loquendo appellari potest à quacunque sententia valida, nisi expressè in jure sit prohibitum, quia appellatio est defensio, quæ nemini facile negari debet. Spectato tamen jure civili non nisi à sententia definitiva, non autem interlocutoria appellari potest (ad cavendam scilicet litem prorogationem, quæ de hoc jure, nisi intra triennium expediantur, expirant) nisi interlocutoria gravamen imponeret, quod per sententiam definitivam vel appellationem ab ea reparari non potest, aut vim habeat definitivæ, vel post eam non speretur definitivæ, vel post eam non speretur definitivæ.

Ccc 3 fini-